



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi  
Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 5. De Diuinis ideis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

modo esset recte gubernandus, quæ scientia practica est, essetque talis, etiam si Deus decreuisset nec creare mundum, nec gubernare. Nam, ut scientia sit practica (ut ex Metaphysica constat) necesse non est, ut a sciente applicetur ad opus, sed satis est, quod de se directiua, & regulatiua sit operis, quatenus est de re operabili, ut talis est, id est, modo operabili, seu ostendendo modum, quo res faciendæ est, si artifex voluerit.

13.  
*Scientia visio-  
nis per se nõ  
est practica.*

At vero scientia visionis per se non est practica, sed est quædam intuitio, seu quasi experimentalis visio. Vnde si consideretur in Deo, quatenus terminatur ad res actu existentes, supponit effectiõnem eorum, vnde, ut sic, non facit illas. Si vero consideretur, ut de futuris est, etiam supponit futuritionem earum, & ex parte Dei supponit voluntatem aliquam, sine qua illæ res non possunt esse absolute futura. Non est ergo scientia visionis practica, maxime per modum artis. In ordine vero ad prudentiam, & ad iudicium de agendis, seu vitandis libere, potest suo modo conducere eo modo, quo experientia, & memoria, vel præiudicium de futuris solet ad prudentiam conferre. Non tamen propterea talis scientia dici potest proprie practica, sed conditio quædam antecedens, & necessaria ad prudentiam. Sic enim omnis notitia practica in aliqua speculatiua fundatur, vel secundum rem, ut in nobis, vel secundum rationem, ut in Deo.

14.  
*Scientiam  
Dei esse cau-  
sam rerum  
omnium,*

Vltimo ex dictis constat scientiam Dei esse causam rerum, quatenus practica est. Patet, quia Deus operatur omnia per sapientiam suam, ut scripturæ doceant, quæ satis allegata sunt (est enim res clara) sed non est causa, nisi ut est operatiua, ergo ut est practica, est causa rerum. Quomodo autem causet, dicemus c. 6. agendo de potentia. Nunc solum dicimus, concurrere ad rerum effectiõnem duobus modis prædictis: primo per modum prudentiæ, nam scientia illa non operatur nisi per voluntatem, ergo prius ratione intelligitur, inducere voluntatem, ut hoc, vel illud operari velit, & sub hac ratione habet rationem prudentiæ. Deinde post voluntatis determinatiõnem dirigit actionem per modum artis, ostendens modum, quo res faciendæ sunt.

15.

Vnde etiam constat, an esse causam rerum conueniat scientiæ simplicis intelligentiæ, an visionis. Nam esse causam per modum artis habet, ut est scientia simplicis intelligentiæ applicata per voluntatem. Ex se enim solum habet, ut sit causa veluti in actu primo id est, causatiua, quod etiam habet circa possibilia, quæ nunquam erunt. Quod vero sit causa in actu, nõ habet sine applicatione voluntatis, eius vero causalitas præintelligitur ante scientiam visionis, nam hæc videt res, ut iam factas, vel futuras. At vero quoad iudicium prudentiale, & quasi consilium distinguendum est. Nam si consideretur ante omne decretum liberum voluntatis Dei, sic etiam pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quia illud iudicium est omnino naturale, & dicitur esse causa quantum est ex se, seu sufficiens in suo genere, non tamen efficaciter, & in actu secundo, nisi accedat decretum voluntatis, quod liberum est, non obstante illo iudicio. Si vero consideretur aliquod particulare iudicium de aliquo agendo, seu eligendo ex præsuppositione prioris decreti, sic potest interdum pertinere ad scientiam visionis, quatenus illud dictamen simpliciter liberum est, licet ex suppositione sit necessarium. Et hæc sufficiunt de hac scientia practica, quatenus proxime refertur ad voluntatem Dei, & habet rationem prudentiæ, seu consilij, quia præter ea, quæ de voluntate dicimus, nihil difficultatis circa illam occurrit, & videri etiam possunt multa, quæ de hac diximus in Relectiõne. citata. De eadem vero scientia, quatenus habet rationem artis nonnulla dicenda supersunt.

Quæ in sequenti capite tractantur.

CAPVT V.

*An in Diuina scientia practica sint Idea creaturæ  
rum omnium, & quot, quarumque  
rerum sint.*

Materia hanc tractat D. Thom. 1. p. q. 15. per totam, & alij Scholastici in 1. d. 35. & 36. & Alentis 1. p. q. 23. Veruntamen eas quæ in hac materia præcipua esse videntur in Disposit. 5. Metaphys. sect. 1. à nobis tractata sunt, quæ hic repetenda non sunt, & ideo in hoc capite breuiter materiam hanc poterimus expeditare, quæ necessaria est ad complementum doctrinæ traditæ in cap. præced. & ideo non est hic omnino prætermittenda. Quinque vero præcipua esse videntur, quæ de Ideis tractari solent, videlicet. An sint, ubi sint quid sint, quarum rerum sint, & quot sint, possumusque sextum addere, nimirum, quam causalitatem habeant.

Prima tria puncta late sunt tractata dicta sect. 1. & ideo hic pro certo statuimus in primis Ideas esse, quia idea nihil aliud significat, quam exemplar ad cuius imitationem artifex operatur, ostensum autem est, Deum operari, ut supremum artificem, oportet ergo ut suas ideas habeat. Quas proinde oportet esse increatas, æternas, immutabiles, & inuisibiles, ut notauit Aug. 1. 83. q. 4. 6. Quia si ideæ diuinæ essent creatæ per alias ideas creati deberent, & sic, vel in infinitum procedendum est, vel sistendum est in increatis, quod si increatæ sunt, illæ solæ sunt ideæ diuinæ, nã quidquid per illas fit, magis erit ideatum, quam idea sunt ergo increatæ, ergo immutabiles, æternæ, & inuisibiles. Vnde aliqui existimant de his fuisse locutum Paulum ad Hebræos vnde c. 10. cap. cum dixit: Fide intelligimus apertæ esse secula verbo Dei, ut ex inuisibilibus, visibilia fierent, id est, ut res, quæ in suis ideis erant inuisibiles, ex illis ut ex exemplaribus fierent visibiles per creationem. Quis sensus probabilis est, licet non desint alij. Nam Chrysol. hom. 22. in ad Hebr. exponit, ex inuisibilibus id est, non entibus, seu ex nihilo, Anselm. autem ibi, cum prius explicasset illa verba de formatione orbis ex materia inuisibili, & informi, prius ex nihilo creatæ subiungit, Vel ex inuisibilibus facta sunt visibilia, id est, ex intellectuali mundo, visibili, inuisibili enim mundus in sapientia Dei erat, & ad illius imitationem factus est, iste visibilis. Quam expositionem ibi Diuus Thomas lectione secunda locupletat, & solam illam assignat. Esto vero non habeatur hæc assertio expresse in scriptura, tamen ex his, quæ docet fides de modo operationis ad extra, tam euidenter colligitur, tamque communi consensu Patrum, & Theologorum recepta est, ut in dubium reuocari non possit.

In secundo puncto certum est, ideas diuinæ esse in Deo ipso, quod adeo affirmat Augustinus 1. 83. q. 4. 6. ut dicat, Sine impietate negari non posse & 1. 5. Gen. ad litter. c. 14. & tractat. 1. in Ioann. in hunc modum intelligit verba illa. Quod factum est, in illo visa erat, distinguit enim hanc totam sententiam à præcedentibus, & exponit Omnia quæ facta sunt, prout sunt in Deo per ideas, esse ipsam vitam, & rationem increatam sapientiæ Dei, quæ est vita per essentiam. Quam expositionem Bedæ, Rupert. D. Thom. & alij sequuntur. Est autem tantum probabilis, nam ille locus alijs modis legitur & exponitur probabiliter. Sequitur vero hæc assertio ex priori necessaria illatione. Quia extra Deum nihil est increatum, inuisibile, & æternum.

Et ita imbutur facile error Platoni attributus de Ideis realibus separatis ab indiuiduis, & in suo proprio, & specifico esse subsistentibus. De quo hic plura dicere non est necesse, tum quia & per se omnino incredibilis est, & iam est antiquatus: tum etiã quia in citato loco Metaphysicæ, & in disp. 6. sect. 2. tractan-

2.  
*Ideas esse.*

Hob. 11.

3.  
*Ideas diu-  
nas esse in  
Deo ipso.*

4.

tractando de vniuersalibus sufficienter hac res expe- dita est.

5. Error Vuidelphi.

Per hanc etiam resolutionem improbatu facile error tributus Vuidelphi, & impugnatus a Vualden- se tomo 1. capite. 5. & 8. quatenus dicebat creaturas se- cundum esse ideale esse aliquid æternum, & distin- ctum ab esse Dei. Hic enim error intellectus in hoc sensu, quod extra Deum habeant ideæ aliquod esse reale verum, & æternum contra fidem est, & illum sufficienter impugnaui in Metaphysica disp. 31. sect. 2. valde autem dubito, an illa hæresis in mentem a- licuius venerit. Nam, vt ibidem Vuald. refert, Vuidelphus potius errabat vocando creaturas DEVM, quia sunt in Deo secundum esse ideale, quod magis pertinet ad ineptum, & erroneum modum loquē- di, quam ad rem ipsam. Et ideo necesse non est in hoc immorari. Maxime, quia in Concil. Constantien. sess. 18. vbi errores Vuidelphi referuntur, nihil de hoc di- citur, & in sess. 17. cum proponuntur errores Ioan- nis Huss, inter alios ponuntur hæc propositiones. Quodlibet est Deus, qualibet creatura est Deus, vbi que om- ne ens est, cum omne ens sit Deus. Et postea illarum men- tio non fit, cum referuntur articuli damnati. Quia forte non constitit, illas asseruisse, vel quia locus er- rat appellando absolute, & simpliciter ideas Diui- nas nominibus creaturarum, cum constet creaturas non esse in Deo formaliter, & ideo nec creaturas sim- pliciter posse vocari Deum, nec Deum creaturas, licet cum addito, creatura secundum esse quod habet in Deo, sit Deus, vt Aug. & sancti loquuntur, & in se- quent. puncto explicabitur.

6. Variæ opinio- nes. 3. Opin. Secunda.

Circa tertium punctum, quid sit idea, variæ sunt opiniones Scholasticorum. Nam quidam dicunt esse ipsas creaturas, quæ in tempore sunt, prout præce- dunt ex æternitate in mente Dei, non formaliter, sed obiectiue. Alij dixerunt esse diuinam essentiam cognitam, vt participabilem à creatura. Alij, esse ipsi- met Verbum diuinum, seu formalem conceptum es- sentialem, quem Deus habet de creaturis, vt possibi- libus. Et hanc vltimam sententiam, veram existimo quam in citato loco late probaui, & auctoritate et- iam confirmauit. Eamque aperte docent Aug. Ansel- & Diuus Thomas locis proximè citatis. Et ratio bre- uiter est, quia Idea nihil aliud est quam exemplar ar- tificis, cui opus suum facit conforme. Deus autem non intuetur extra se aliquid, vt ad illius imitationē operetur, sed in se habet totam rationem efficiendi, siue exemplarem, siue productiuam. Item per ideas omnes intelligunt aliquam veram rem, distinctam ab ea, quæ fit; res autem, vt possibili obiecta menti Dei, extra Deum non est aliquid reale actuale, neque aliquid distinctum vere à creatura, quæ fit. Denique creatura, vt sic obiecta, non potest dici æterna, immu- tabilis, & alia, quæ diuinis Ideis attribuuntur. Non est ergo idea tantum obiectiue in Deo, sed vere, ac realiter. Rursus per ideam omnes intelligunt formā, quæ representet aliquo modo, & sit per modum i- maginis, hoc autem non conuenit proprie essentiæ diuinæ, nisi ratione formalis conceptus, quem habet de creaturis, ille ergo conceptus, vt representat crea- turas factibiles est idea. An veronecessè sit, ideam esse cognitam proprie, & vt quod, parum in præ- senti refert, nam etiam hoc habet illa formalis cog- nitio, seu scientia Dei, quatenus se ipsam scit perfe- ctissimo modo, vt supra dictum est, & latius in dicto loco Metaphysicæ, vbi hæc omnia latissime sunt ex- plicata.

7. Cuiusdam

Atque hinc constat, ideas propriissime pertinere ad scientiam practicam, quam Deus habet de crea- turis, quia nihil magis ad scientiam pertinet, quam conceptus ille formalis, qui de re scita formatur, nam per illum formaliter representatur, & cogno- scitur. Sed in hoc conceptus sunt ideæ, vel potius hic conceptus, vt est de tali, vel tali creatura, est idea, ergo, idea est in diuina scientia, vel potius, est

ipsa scientia. Rursus illa scientia est de creatura qua- tenus à Deo fieri potest, & est velut ars, per quam hæc est ergo scientia practica, ergo ideæ in scientia Dei sunt, vt habet rationem artis, seu scientiæ practicæ factiue.

8. Animaduer- sio.

Solum est obseruandum circa has voces, Ideæ, ra- tio, & Exemplar, esse in vsu illarum aliquam varietate- tem, quam distinguit Diuus Thomas dicta quæstio- ne decima quinta, articulo tertio. Et significat, ideam esse quasi commune nomen significans eandem rem, quæ & exemplar, & ratio esse potest: exemplar in quantum est ratio factiua alicuius, ratio vero in quā tum est principium formale, quo talis res cognoscitur. Addit vero, nomen exemplaris significare habi- tudinem ad res faciendas, sicut nomen providen- tiæ, vel prædestinationis, & ideo exemplaria proprie non esse in Deo nisi respectu earum rerum, quas ali- quando est effecturus. Rationes vero rerum, tam de rebus aliquando futuris, quam de possibilibus nun- quam futuris, esse posse. Ac subinde ideam, vt tan- tum ratio est, esse de vtriusque, & ita esse posse in scientia speculatiua, quam in practica, vt vero est ex- emplar, esse de rebus aliquando futuris. Quod to- tum pertinet ad vsum vocum tantum, in quo fides adhibenda est peritis in arte. Potest tamen facile vsus esse diuersus, vel esse mutatus, nam solent etiam vocari exemplaria, quæ de se talia sunt, vel ad eorum imitationem possit aliquid fieri, licet faciendum non sit, sicut supra diximus, scientiam illam esse practi- cam, in actu primo, quod fortasse vocat Diuus Tho- mas, esse practicum virtutis, in eodem articulo tertio, ad 2.

9.

Circa punctum quartum, scil. quarum rerum sint ideæ, multa disputantur à Theologis, quæ omnia pertinent ad vsum vocum, & ideo breuissime per- stringenda sunt. Nam loquendo practice de ideis, seu exemplaribus diuinis, prout nunc loquimur, certū in primis est, habere Deum ideas rerum omnium, quæ per se, ac proprie facit, vel facere potest. Proba- tur, quia omnia operatur per artem suam, ergo maxime illa, quæ per se, ac proprie operatur, ergo illorū maxime habet ideas.

In Deo esse ideas rerum omnium.

10.

Ex hoc sequitur primo, habere Deum ideas rerum singularium, scilicet, Petri, Pauli & cæterorum. Ita docet Diuus Augustinus epist. 115. in fine, & idem sen- tit Diuus Thomas dicta quæstione 15. artic. 2. ad 4. Bonauent. Richard. Aegidius, & alij in d. 35. & 36. Ratio vero clara est, quia effectio versatur circa sin- gularia, ergo oportet, vt singularium dentur ideæ. Potest declarari exemplo humani artificis, quia non depingit talem imaginem, talis figuræ, magnitudinis coloris, &c. nisi illius habeat propriam, & peculiarē ideam, diuersam ab idea alterius imaginis. Dices, hoc ad summum habere verum, quando imagines facien- dæ, sunt dissimiles, at si sint omnino similes, licet differant numero, per idem exemplar fieri posse. Respondeo, in humano artifice habere hoc locum, quia operatur per se ad formam similem, non vero ad indiuiduationem, secus vero esse in Deo, qui per se attingit indiuidua, & hoc est, quod Diuus Thomas ait, in dicto articulo solutione ad 4. Providentiam di- uinam se extendere ad singularia, & ideo dari illorum ideas. Quapropter sine causa Henricus Quodl. 3. quæstion. 1. & quodl. 7. quæstion. 5. negat esse in Deo ideas sin- gularium.

11. Dubium.

Queri verò potest, an sint in Deo ideæ rationum vniuersalium. Nam Henricus supra, tam generum, quam specierum illas esse ponendas putat. At Di- uus Thomas dicta solutione ad 4. fatetur de gene- ribus non dari ideas, distinctas ab ideis specierum. Vnde de speciebus videtur eas admittere, imo & Au- gustinus dicta epist. 115. idem sentit, dum ait. Mihi videtur, quod ad hominem sciendum artes, hominis quæ- dam tantum, non meam, vel tuam ibi esse rationem. Quan- tum ad orbem a. temporum, varia hominū rationes in illa sunt.

Handwritten notes in the right margin, including "D.V." and other illegible characters.

*sinceritate viuere.* Sed certe, quæ ratione non ponuntur ideæ generum, eadem nec specierum ponendæ esse videntur. Primo quidem, quia species non fiunt, nisi in indiuiduis, vnde non fiunt nisi per ideas indiuiduorum. Secundo quia Deus non habet conceptus confusos obiectorum vniuersalium, sed distinctissime omnia cognoscit, vt sunt. Vnde licet negari non possit, ita cognoscere Deum singularia, vt cognoscat etiam virtutem formalem, seu similitudinem specificam, quam inter se habent: nihilominus non intelligimus nos in Deo duos conceptus ratione distinctos, vnum speciei, alium indiuidui. Tum quia prior esset confusus, & imperfectus, vt in nobis est. Tum etiam quia eadem ratione distinguendi essent conceptus generis & speciei. Concipiendo ergo singularia prout in se sunt, in eis videt similitudinem, quam inter se habent, vel integram, & specificam, vel imperfectam, & genericam & eodem modo, sicut non producit genera vel species nisi in indiuiduis, ita per eorum ideas illa producit.

Secundo sequitur ex dictis dari ideam in Deo omnium singularium substantiarum completarum, sed suppositorum. Hoc etiam constat, quia illa omnia per se fiunt, & per se, ac distincte cognoscuntur. Tamen de partibus substantiæ solet esse controuersia, præsertim de materia prima. Nam D. Thomas supra ad 3. negat dari propriam ideam eius, quod Caietanus, & alij sequuntur. Imo nec proprium conceptum eius videntur ponere in Deo, sed cognosci putant conceptu totius, cuius est pars & similiter putant fieri per ideam totius. Fundanturque, quia materia non habet esse, nec actualitatem nisi per formam, vnde nec cognosci, nec fieri potest nisi cum illa, & per illam, atque adeo, per ideam, vel ratione totius.

Ego vero censeo materiam habere suam propriam entitatem, & proprium actum entitatum, & conceptum esse, & ideo existimo in se distincte, & proprio conceptu cognosci, licet cum habitudine transcendentali, & dependentia, quam habet à forma. Et ita etiam existimo fieri & conseruari propria quadam actione creatiua, & conseruatiua, licet partiali respectu totius, secundum ordinem naturæ, de potentia vero absoluta posse solum produci. Quare placet mihi opinio Alberti. 1. dist. 35. art. 10. ponentis propriam ideam materiæ. De accidentibus autem fere idem dici potest. Et de his, quæ per se fiunt, & adduntur substantijs iam productis, ita omnino dicere oportet. At vero de his, quæ non per se fiunt, sed comproducentur, probabilis est sententia Diui Thomæ, quod per ideas subiecti fiunt. Nam intelligimus v.g. habere Deum ideam Angeli, prout in re sit cum intellectu & voluntate, & per illam eum producere, & sic de alijs rebus, de quo solum potest esse dissentio in modo loquendi.

Circa quintum punctum, scilicet, quot sint ideæ, res videtur clara, licet auctores etiam dissentiant in modo loquendi. Certe ergo est, in re non esse plures ideas actu distinctas, quia in Deo non habet locum talis distinctio, in absolutis, vt supra probatum est. Idea vero licet concipiatur à nobis cum respectu rationis ad obiectum creatum, in se concipitur, vt forma absoluta, sicut reuera est, non sunt ergo in Deo plures ideæ in re distinctæ actu aliquo modo. Sed sicut Deus vnico conceptu omnia intelligit, ita vnam habet realem ideam, suæ in se arti adæquatam. Nihilominus vero certum est, posse à nobis ratione distingui ideas per ordinem ad diuersa obiecta, sicut reuera illas distinguimus, & hoc modo dicuntur esse in Deo plures ideæ. Quæ, vt sunt rationes rerum possibilium infinitæ sunt, vel distinguuntur in infinitum, vt vero sunt exemplaria rerum faciendarum tot sunt, quot sunt vel erunt, res singulares habentes in Deo proprias ideas. Atque hæc est

doctrina communis Theologorum D. Thom. dicta q. 15. art. 2. Alens. 1. p. q. 23. m. 4. Bonauent. Alberti, & Heruæi in 1. d. 35. & idem habet Scot. d. 36. q. 1. & ibi Durand. q. 4. Richar. a. 2. q. 3. Capreol. qu. 1. ar. 1. & cæteri omnes.

Cum ergo hæc certa sint, solum de nomine est quaestio, an dicendæ sint simpliciter plures ideæ, vel vna. In quo iam vsus obtinuit, vt plures simpliciter dicantur, nam ita loquitur August. dicta q. 47. in l. 83. qu. & sumitur ex Dionys. c. 1. & 5. de Diuin. nom. & docent D. Thom. & fere alij Theologi, vno, vel alio excepto, ad modum autem loquendi sufficit communis vsus. Nam ex eodem etiam habetur, per illam numerationem, vel pluralitatem non significari pluralitatem rerum, sed rationum obiectiuarum, quæ correspondet nostris conceptibus inadæquatis, quos de illa idea Diuina formamus.

Sed hinc rursus inquiritur, quæ fuerit ratio huius vsus. Quidam existimant per nomen ideæ significari de formali relationem rationis diuini exemplaris ad res representatas, & quia relationes, vt relationes sunt, multiplicantur ex terminis, vt infra libro sexto de Trinitate latius dicemus, ideo ideas vocari simpliciter plures. Sed non videtur nomen ideæ significare de formali relationem secundum esse, sed tantum secundum dici, vt aiunt, sicut nomen scientiæ, vel similia. Item alias, idea esset ens rationis, vel nomen secundum intentionis, & ita non esset in Deo idea ab æterno, quod falsum est, nam tam æterna est idea, sicut præscientia, vel prædestinatio, vel decretum liberum Dei, quæ omnia inuoluunt relationem rationis, sed non in formali significato, seu in obiecto significacionis, sed in modo significandi, idem ergo est de idea.

Videtur ergo mihi, ideam, & exemplar esse mensuram rei, cuius est idea, ideoque significari, & concipi, vt adæquatum terminum relationis mensurati seu mensurabilis ad mensuram suam. Vnde, quia creaturæ sunt plures simpliciter, & vnaquæque suo peculiari modo commensuratur exemplari diuino: ideo etiam ideas illarum plures simpliciter nominari. Et ideo etiam potest hæc pluralitas intelligi æterna in intellectu diuino, vt Diuus Thomas docet, quatenus Deus intelligit suum conceptum, quem de creaturis habet, posse esse adæquatum terminum plurium creaturarum, quæ respiciunt ipsum, vt mensurata per ipsum. Quapropter, licet Deus non concipiat relationem, aut distinctionem rationis, cognoscit nihilominus plures creaturas, vt mensurabiles per suam scientiam prædictam, & ibi cognoscit esse fundamentum sufficiens ad illam denominationem præsertim, quia etiam cognoscit distinctionem rationis, quam mens humana potest in sua idea concipere.

Denique hinc etiam potest reddi ratio, cur ideæ simpliciter dicantur plures, non vero scientiæ, vel ars diuina. Quia scientiæ, & ars non ita significantur per modum mensuræ, sicut ideæ, & exemplar. Est etiam optima ratio, quia scientia, & ars significantur, vt habitus, qui non multiplicantur ex materialibus obiectis, & rebus seitis, sed ex ratione formali sciendi quæ in Deo est vna, & vniuersalissima. Exemplar vero, seu idea significatur per modum actualis conceptus adæquati rei cognite, & per modum imaginis representantis vnamquamque rem, sicut est, & ideo iuxta rerum varietatem multiplicatur. Et hæc sufficiunt pro loquendi modo.

Circa sextum punctum multa dici possent, nisi tractata essent in dicta disputat. 23. Metaphys. sect. 2. Vbi diximus, causam exemplarem ad efficientem reduci. Nam exemplar est veluti forma, per quam artifex operatur. Vnde licet respectu artificis idea sit veluti quædam forma, quæ est illi ratio cognoscendi, tamen in ordine ad effectum est quasi principium agendi, & assimilandi sibi aliquo modo effectum.

12. Dari in Deo ideas verum omnium singularium substantiarum

13.

14.

Non esse plures ideas in Deo actu in distinctas.

15. In quo si dist. scilicet.

16.

17.

18.

19.

Am; & ideo sub ea ratione ad causam efficientem pertinet. Quam doctrinam in illa sect. 2. latius declarauimus, & ad diuina etiam exemplaria applicuimus. An vero hac effectio diuinarum idearum sit solum per modum directionis cuiusdam, eo modo, quo scientia practica, vel ars, solet dirigere potentiam motiuam, seu executiuam, vel etiam sit per influxum ad extra physicum, ac per se, tractauimus in disp. 30. Metaph. sect. vi. & infra c. 3. tractando de omnipotentia aliquid attingam.

CAPVT VI.

De Diuina voluntate.

1. Omnia fere, quae de hoc attributo dici possunt, in Metaphysica disp. 30. sect. 6. & in alijs opusculis nostris tractata sunt, & ideo breuissime illud expediemus, attingendo totius doctrinae capita, veram resolutionem, & designando loca, in quibus fusa tractata sunt. Primo ergo supponimus, esse in Deo veram, & perfectissimam voluntatem, seu potius verum, & perfectissimum velle. Hoc de fide certum est, tota enim scriptura clamat, Deum facere quae vult, & in voluntate eius omnia esse posita, & alia familia. Rationes etiam satis nota sunt, quas in citato loco adduxi, & nunc haec sufficiat, quia voluntas est perfectio simpliciter, vnde non potest deesse Deo. Item quia voluntas est perfectio sequens intellectum. Quia ratione vtiatur D. Thom. 1. p. q. 19. art. 1. Et radicem eius declarat ex alio principio, quod appetitus vitae sequitur formam apprehensam, sicut appetitus innatus sequitur formam naturalem. Quod principium generale est ad omnia viuente cognitionis capacia, & conitit inductione, & optima proportione à D. Thom. insinuata, sed eam latius expendere, ad scientiam de anima pertinet.

2. Dixi autem potius velle, quam voluntatem esse in Deo, quia, vt eodem loco tractauimus, in Deo non est propria, & formalis potentia secundum rem, sed purissimus actus volendi, quem nos varijs modis concipimus, sicut de scientia, & intellectu etiam diximus & infra tractando de processibus Diuinis 1. 1. & 7. de Trinit. magis explicabimus. Vnde quando probari solet, esse in Deo voluntatem, quia in omni natura cognoscente est appetitus elicited, & non tantum innatus? qui dicitur pondus naturae, non est intelligendum de appetitu proprie elicitede suum actum, nam elicere dicit effectiorem ad intra, seu immanentem, & consequenter imperfectionem, tam in potentia, quam in actu: sed intelligendum est de appetitu vitali siue fit vere elicited, siue purus actus per essentiam, quem nos per modum elicited intelligimus, & ideo etiam sic nominamus.

3. Secundo est certum, primum obiectum huius voluntatis diuinae esse ipsammet essentiam diuinam cui obiecto necessario ac naturaliter illa voluntas coniungitur per amorem. Hoc tam est euident, vt D. Thom. dicta q. 19. de hac veritate quaestionem non mouerit. Nam in Deo est spiritualis appetitus, ac vitalis, necesse est, vt primo, ac per se feratur in ipsam Dei bonitatem. Duobus autem modis intelligi potest ferri primo in suam bonitatem, vel quia primum actus voluntatis est dilectio sui, vel quia in omni actu diligendi, quem habet, magis se, quam alia diligit. Et vterque sensus verus est, sed de hoc secundo postea dicemus, nunc in priori loquimur. Et sic probatur, quia primum bonum diuinae voluntati oblatum est propria bonitas, quae etiam est summa, & maxime amabilis propter seipsam, est etiam maxime propria, ergo est primum obiectum voluntatis diuinae.

4. Vnde facile patet altera pars de necessitate illius amoris, prout terminatur ad Deum, quam Diuus Thomas d. q. 19. art. 3. absolutam necessitatem vocat.

Addit vero, ita Deum ex necessitate velle suam bonitatem, sicut voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem; ex qua similitudine videtur tantum inferri necessitas, quoad specificationem: vnde Caietanus fateri videtur, ex vi illius rationis non aliud probari, quod etiam sentit Ferrar. 1. contra Gentes capit. 51. sed cum verum sit, etiam quoad exercitium Deum necessario amare se ipsum, non est, cur negemus, D. Thom. de illa fuisse loquutum. Maxime cum illum vocat necessitatem absolutam, qualis profecto non est sola necessitas quoad specificationem. Item in fra articulo 10. ex dictis in articulo 3. infert in Deo, non esse libertatem supra amorem sui, quia ex necessitate se amat, quae non esset boni illatio, nisi necessitas illa esset quoad exercitium, quia sola necessitas quoad specificationem, non excludit libertatem. Denique ratio D. Thom. etiam hoc probat, si commodè inducatur.

Nam illud principium omnia potentia habet necessariam habitudinem ad proprium, & principale obiectum suum, intelligendum est indefinite, seu abstracte, & cum proportione. Nam potentia, quae non coniungitur obiecto per se ipsam, sed per actum, habet ad illud necessariam habitudinem inclinationis, actum vero tunc solum necessario habet, quando habet praesens obiectum ita proprium, vt nihil in illo appareat, quod possit potentiam retardare. Diuina autem voluntas per se ipsam respicit immediate obiectum suum, quod est, respicit illud per modum actus potius, quam per modum potentiae: & habet obiectum suum semper praesentissimum, & in illo apparet summa ratio boni sine vlla ratione mali, quae voluntatem illam retardare possit, ergo. Vnde cum Diuus Thomas comparat illam necessitatem cum necessitate nostrae voluntatis ad volendam beatitudinem, non est necessarium intelligi de beatitudine in communi, vel prout in hac vita cognoscitur, sed abstracte. Nam voluntas nostra ex se habet rationem, ac tam necessariam habitudinem ad beatitudinem, vt si in se ipsa videatur beatitudo obiectiua, necessario quoad exercitium illam velit. Denique eo ipso quod voluntas Dei non est aliud, quam ipsum velle, optime concluditur illud velle esse omnino necessarium, & immutabile, atque adeo esse necessarium quoad exercitium. Et inde vterius concluditur, eadem necessitate terminari ad obiectum primum suum. Quia non potest actus esse sine actuali obiecto, nec potest habere aliquid obiectum magis intimum, vel prius, quam primum, quod est propria bonitas.

Hic vero occurrebat nonnulla quaestio cum Scoto de necessitate illius amoris, sed illam tractabimus commodius infra libro septimo de Trinitate. Vbi etiam dicemus, amorem illum non solum necessarium, sed etiam naturalem dicendum esse, quia est maxime connaturalis Deo, & quasi ex impetu naturae eius. Nam in citato loco Metaphysica ostendi, esse in Deo non solum vitalem appetitum, sed etiam innatum, quem pondus naturae vocant. Ex illo ergo naturali pondere intelligimus se ipsum amare cum praedicta necessitate, & ideo amor ille recte dicitur naturalis Deo.

Vnde etiam obiter intelligi potest, voluntatem diuinam vnicum tantum actum secundum rem, & ad summum duos ratione distinctos, posse habere tantum circa ipsummet Deum, vt propter se ipsum dilectum, nam, vt iam tanquam summum bonum suum. Quod enim ille actus in re vnus tantum sit, satis clarum est ex Diuina simplicitate, sicut in vniuersum dicemus de omnibus actibus illius voluntatis. Quod vero secundum rationem tantum possit esse duplex, sumitur ex Diuo Thom. 1. p. quaest. 20. artic. 1. Nam in primis actus ille est perfectissimus amor, quia per illum vult Deus sibi perfectissimum bonum. Amare autem est velle bonum alicui, teste Aristotele 2. Rhetoric. cap. 4. & amor

5. Explicatur quoddam principium

Handwritten notes in the right margin, including "D.V." and other illegible characters.